



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Murbachium vel Mortwegium, â latrociniis infesto quondam loco,
antiquitus vero peregrinorum Vivarium dictum, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

habitu monastico redierint ad seculum, cæteri vero in monasterio permanentes prohibiti sint secundum regulæ suæ præscriptum vivere. Rediens Mulbrunnum Abbas muros quidem invenit integros, mores vero corruptissimos, ad quos etiam redintegrandos & ea, quibus hætenus caruit, recuperanda totis accingitur viribus: nec enim parvi roboris, sed divini muneris esse agnoscit collapsa erigere, deviareducere, & clavam quasi de Herculis manu eripere. Præsides magnanimiter hoc adhuc currente Jubilæo, quo regni Comitibus, à Divo Carolo V. Imperatore Augusto, in Augustana urbe celebratis, interfuit. Sed hoc loco nec istud silentio prætereundum censui, quod ex hoc Mulbrunnensi monasterio olim primi & Abbates & Conventus assumi & exciti sunt ad extruenda & plantanda potentissima duo cœnobia in Ostrofrancis, Speciosam scilicet Vallem prope Meckhmul, & Brunbacum prope Wertheimium sita. Et quandoquidem semper in Maulbrunnensi hoc cœnobio præcipue viguit regularis observantia ordinisq; institutio, ac personarum regularium multitudo, sæpe ex eo ad diversa hujus ordinis monasteria postulati & missi sunt Abbates, Marquardus videlicet ad monasterium Schonaw, prope Heidelbergam situm, ad petitionem Comitum Palatinorum Rheni: Dominus Conradus vero de Binigkhen cœconomus ad Otterburgensem Cisterciensis instituti Abbatiam gubernandam, quæ prope Keiferslautern civitatem Palatinatus sita est. Sic D. Gotfridus etiam cœconomus vel Burfarius, ad Imperatoris Friderici III. petitionem, Abbas monasterii novæ Civitatis in Austria, volentibus etiam Conventu & visitatore eius loci postulatus, assumtus & designatus est. Actantum quidem de Mulbrunnensi Abbatia: plura enim hætenus de ea quæ & potentissima est & amplissima expiscari non potui. Cætera si mihi etiam communicabuntur, alteri aliquando operis nostri monastici centuriæ (prodibunt enim, ut spero, plures) pari fide ac industria paratus inferam.

*Speciosa
vallis Cœ-
nobium.*

*Otterbur-
gum Cœ-
nobium.
Keifers-
lautern.
Monaste-
rium No-
væ Civi-
tatis in
Austria.*

MURBACHIUM vel Mortwegium, à latrocinii infesta quondam loco, antiquitus vero peregrinorum Vivarium dictum.

stium, cœnobium Benedictinæ professionis in superiori Alsatia ad Montana Vosagi situm, ex potentissimisq; Germaniæ monasterijs unum, quemadmodum etiam ex illis quatuor unum, quorum Abbates singulari prærogativa & dignitate, cæteris Abbatibus eminentiores, sacri Romani Imperij Principes habentur, omnibusq; Imperii causis interesse solent, fundatum legitur annum Christi circiter 724. ad S. Episcopi Pirminii preces ac petitionem, à Sueviæ ac Alemanniæ Duce quodam, Eberhardo, habitante in Alsatia arce Egisheim, factoque tandem in hoc suo cœnobio converso, sub Theodorico Francorum Rege. Sic habent enim literæ foundationis, quarum partem aliquam hic adscribere placuit.

*Imperii
Abbat.*

Eberhardus.

Theodericus, Rex Francorum, viris Apostolicis, patribus, Episcopis, nec non & illustribus viris, Ducibus, Patriciis, Comitibus, vel omnibus agentibus tam præsentibus, quam futuris &c. Igitur dum venerabilis vir, Pirminius, gratia Dei Episcopus, nostris temporibus cum monachis suis, Deo inspirante, pro evangelio Christi peregrinatione suscepta, monasterium virorum in eremo vasta, quæ Vosagus appellatur, in pago Alsacensi, in loco, qui vocatur Vivarium Peregrinorum, qui ante appellatus est Mourbach, allodio fidelis nostri Ebrohardi Comitum, cum ipsius adjutorio, Deo cooperante, conatus est construere monasterium vel cœnobium sanctum ibidem instituere in honorem Dei & genitricis Domini nostri Jesu Christi, &c. Gundolfi villa in Dei nomine feliciter, Amen.

In Chronico quodam Ebersheimensis monasterii sic scriptum legitur: fuisse circa annum Christi 621. in aula Dagoberti Regis Gallorum Erckhonaldum quendam, summum Curia Magistrum, qui filium reliquerit Leodisum, & ipsum post patris obitum regiae curia Magistrum: hunc Leodisum etiam reliquisse filium nomine Atticum, quem aliqui tamen Ethiconem nominare solebant. Hunc vero sive Atticum, sive Ethiconem uxorem duxisse reginae sororem, quæ S. quoq; Leodegarii è sorore nepotis fuerit: unde Regem motum tradidisse Ethiconi Ducatum Alemanniæ, qui continebat tum Provincias Alsatiam, Sueviam & supe-

Ethico.

Aleman-

nie Du-

sup-

*catus qui d
olim con-
tinuerit.
Ehenheim.*

*Eberheim
Rumier /
Cœnobi-
um.*

*Mafonis
monaste-
rium.*

*Lucerna
Albertus
victorio-
sus.*

superiorem Germaniam. Habuisse vero Ethiconem sedem suam juxta Regiam villam Ehenheim in arce Altitona, quæ nunc S. Ottiliæ mons dici solet. Illic eum ante obitum suum distribuiffe bona sua omnia in quatuor partes hoc modo, ut una in fundationem monialium congregationis ad S. Stephanum in urbe Argentinenfi institutæ conferretur: secunda ad constructionem cœnobii Ebersheimensis prope Selestadium siti: tertia caderet S. Ottiliæ monasterio in Altitona erecto: quarta vero relinqueretur Eberhardo & Mafoni consanguineis suis. Scribit idem ille Chronographus, Eberhardum hunc cœlibem mansisse in arce Egisheim, qui cum occulto Dei judicio tandem cœcus esset factus, fundavit tum demum de bonis ac facultatibus suis in honorem sancti Mauricii monasterium, quod Sanctus Pirminius postea à se consecratum in honorem Sancti Leodegarii appellavit Vivarium, hoc est domicilium, receptaculum aut refectorium, seu refocillatorium peregrinorum monachorū, quod tandem successu temporum Mortwegum vel Murbachium propter viciniam latrocinii in festam appellatum sit. Mafonem vero Eberhardi fratrem ex ducta uxore filium excepisse, quem cum illico in Olrana præterfluente fluviolo submersum amisisset, tanto dolore motum illum construxisse eodem loco (ubi filiolus perierat) in S. Leodegarii honorē monialium cœnobium, quod de suo nomine Mafonis monasterium appellavit. Idq; factum esse sub Theoderico & Childerico, Galliarum Regibus, qui rerum potiti sunt ab anno Christi 720. ad annum usq; 750. Fuit olim tam opulentum hoc cœnobium, ut Abbas ejus loci anno Christi 1260. quingentos equos aleret. Erat hujus monasterii propria olim Lucerna, Helvetiorum civitas, sed emit eam iterum ab Abbate quodam Albertus Victoriosus, Rodolphi Comitis de Habsburg filius, Austriæ Dux, qui postea Imperator factus à Joanne Duce Austriæ, patruo suo, interfectus est.

Catalogum ejus loci Abbatum, etsi scriptis literis aliquoties à me enixe postulatum, tamen hætenus consequi non potui. Præfuit vero Abbatia huic olim S. Simbertus, Lotharingiæ Dux, Caroli Magni Imperatoris è sorore Symphoriana nepos, qui inde anno

anno Dñi 779. ad Episcopatus Augustani gubernationem ab ipso Carolo Magno evocatus legitur. De quo vide Tomum primum nostrum de Episcopatibus. Præsident hoc nostro seculo & huic Murbacensi & alteri in Burgundionibus sitæ Luderensi Abbatia clari-
 rissimus vir, Dominus Joannes Rudolphus, nobili familia natus de Stohr, liberalitatis & doctrinæ dotibus reverendissimus. *Lu. Leren- se Cænob.*


*Quem precor ex animo, nobis ut cetera mittat,
 Quæ desunt operi hac parte profecto meo.*

*Sic sibi nomen & æternos acquirat honores
 Omnibus, hæc habuit quos aliquando domus*

*Ut pietate patres & religionem celebres,
 Sic virtute etiam moribus atq; graves.*

Sic conservet eum, sic fortunetq; beeta,

Illustrem Dominum, qui regit astra, Deus.



NERESHEIMIUM, elegans ac magnificum Benedictinæ professionis monachorum cœnobium, in Sueviæ quodam tractu, quem ob soli admodum arenosi sterilitatem *Duri campi* appellatione accolæ notant, Comitum Oetingensium ditione, prope ejusdem nominis oppidum, in peramceno colle tribus à Nordlingiaco milliaribus cis nemus Plossianum videlicet situm, fundatum ac amplissime dotatum legitur anno Domini 1095. ab Hartmanno, Comite Dillingensi, primo nimirum Hugobaldi IV. Comititis filio, & ab illustri Domina Adelheide, Hartmanni Comititis uxore, Comitissa de Kiburg. Consecratum est ab Ulrico, Hartmanni Comititis filio, Episcopo Constantiensi. Est in eo cœnobio celebris sepultura eorundem Comitum Dillingensium, quorum originem ex Imp. Henrici Aucupis genere esse, in vetustis annalibus legitur. Fuerunt illi olim Imperatoris nomine Advocati in urbe Franckhenfurt, quorum hodie adhuctalis reperitur genealogia.

Hugobaldus primus, qui Comitatus Kiburgensi, Dillingensi & Wittislingensi, à Divo Othone Magno, Imperatore potentissimo, donatus est, eo quòd fortiter ac strenue contra Hungensium.

Uu nos